

Oratio de sobrietate
quam. Divinæ
benedictionis aura
adspirante, in regiâ
Ch...

Hasselgren, Henricus Petri,

F1700 Br.1076b



ÅBO

HASSELGREN, H.P.

F1700

Br. 10756

Sv. Saml

Före 1700

Litt.

Nylat.

Lat. tal.

Univ.

Åbo.

(Br.)

o

Exemplaret från tillhört Eskelby förs bibliotek
varifrån det försäldes på auktion hos
Sollberg, Smårum den 20 okt. 1988.

Innehåller 21 följande och följande
och håller vidare till KB.

Pappers: 650 kr.

acc. nr 1981/41.

folijer nr. 962-68.

ORATIO
De
SOBRIETATE

Quam

Divinae benedictionis aurâ adspirante,

In Regiâ Christineâ, quæ Aboæ Fenno-
rum est Academia, magnâ plurimum Re-
verendorum, Excellentissimorum, Cla-
rissimorum & Præstantissimorum præsentis
Coronâ Publicè habebat die 3 Maij

Anni 1657.

HENRICUS PETRI
Hafelgreen ALANUS.

Cicero

*Nihil reperiri potest tam eximium, aut tam
expetendum, quàm istam virtutem moderatri-
cem animi, Sobrietatem, non latere in tene-
bris, neq; esse abditam sed in
luce positam.*

A B O Æ

Imprimebat PETRUS HANSONIUS A. T.

Admodum Reverendo & Excellentissimo VIRO,
Dn. M. GEORGIO C. ALANO

In Regia Academia Aboensi S. S. Theologiae pro-
fessori primario Celeberrimo, Civitatis utriusq; Ecclesiae Abo-
ensi ac Numensis pastori longe dignissimo, Patrono, mæcena-
ti, præceptori, promotori & benefactori suo ut certissimo ita
quovis reverentiæ cultu summè honorando.

U T E T

Reverendis, Humanissimis & Doctiss: VIRIS
Dn. Boëtio Murenio Pastori in
Saltwick / totiusq; Alandia Præposito meritissimo.

Dn. Andreae Henrici Alano Pa-
stori in Hammarland pervigili.

Dn. Carolo Petri Pastori in *Fin-*
ström vigilantissimo, fratri suo germano unice
dilecto.

Dn. Laurentio Matthiæ Xeno-
dochij Alandensis Concijonatori pijssimo, Affini
suo plurimum honorando.

Dn. Erico Erici Portulino verbi
Divini Comministro in *Fögle* attentissimo.

Hoc quaecumq; Oratorium Exercitium in perpetuum, & nunquam in-
termorituram benefactorum recordationem, sicut & ulteriorem sui
promovendi spem, officiosè amicè & fraternè consecrare voluit
ac debuit

Hedricus Petri Hæfelgreen.

Civibus Academiae Aboënsis S. P. D.

Cedro dignum est illud Berengij Pomeranorum professoris Symbolum: piè, justè, Sobriè, erga Deum, proximum, & semetipsum. Cujus priora Duo sine tertio integra ac illasa vix imò nullatenus esse possunt: Cui fraternâ admonitione veritati Salvator Christus ipse fidem facit: Attendite vobis, inquit, ne fortè graventur corda vestra Crapulâ & ebriitate, & curis hujus vita, & Superveniat vobis repente dies illa, sc. extremi judicij; tanquam Laqueus enim omnibus imminebit qui sedent super faciem omnis terra. Vigilate itaq; O. tempore orantes ut digni sitis effugere ista omnia, qua futura sunt, & stare ante filium hominis. Emphatica sunt hæc verba: quemadmodum enim dum philistæi saltabant & maximè latabantur, ruina domus oppressi sunt singuli; Ita novi Testamenti Simson Magnus, adventu suo ultimo: invadet Mundum Somno vinoq; sepultum. Frustra proinde non dixit. Vigilate De Sobriâ hujus mundi vitâ vigiliâq; ceu virtutum præstantissima, & hæc mundi senectâ dignissima, necessaria Oratione differere hodie statuit literis moribusq; politissimus Juvenis **DN. HENRICUS PETRI** Hafelgreen Alanus, idq; finitâ Concione vesp.^{na} in sacratio. Adeste igitur Commilitones frequentes, & salutaria suasuro diligenter auscultate. Valet.

Vester

E Museo 3
Maij seu
Dom: ca
Rog. m. A:
g. 1657.

ENEVALDUS SVENON.
Gyldenh. Al Eloq. Prof.

A 2

ORA-



ORATIO
De
SOBRIETATE



Arcus Cato, cum aliquando ad plebem Romanam importunius de divisione frumenti atq; alijs suis commodis tumultuantem, orationem, quâ placaret eos, habere instituisset, & parùm æquis auribus se à plerisq; audiri animadverteret, in hunc modum initio dicendi fertur exclamasse: Quam Difficile, inquit, ad ventrem verba facere qui aures non habet? Sentiebat enim surdo fabulam cantari, si quis præsertim apud vesanam multitudinem Humanitate uti veller, is enim ventri leges dictaret. Idem ego mihi quoq; accidere vererer, si hæc oratio quam iussu præceptorum, De SOBRIETATE meditatus sum mihi alicubi in cœtu vulgi, ac helluonum de nulla re magis quàm ventre sollicitorum, habenda esset: Hi enim ad primam statim mentionem sobrietatis, me risu & clamoribus exciperent aut indignantes è medio exploderent. Non enim mitius sævit ira læcænæ, abreptis catulis

tulis, quam furor helluonum, quando ventri suo & gulæ finem modumque statui audiunt. Quare si in tali theatro perorandum esset, causa mihi hâc cadendum esset & capite obvoluto, qua possem evadere circumspiciendum. Cum v. in hoc Doctissimorum virorum ac adolescentum confessu, quibus Cum honestissimis ingenuarum artium studijs, cum musis, h. e. cum humanitate commercium est, quibus plus sanæ mentis inesse quam universæ plebi discretionis constat, moresq; ac sententiæ cum studijs congruere præsumuntur. De prædicta virtute contra ebrietatem, qua in hac vita nihil fœdus esse potest dicendum sit, nihil dubito, quin satis æquos & benignos auditores sim habiturus. Et me contumelia vos afficere judicarem, si velut dubitans de vestra in hac causa benevolētia longâ præfatione eam mihi conciliandam putarem. Quapropter hac quidem parte ommissa unum vos precabor, ut si minus hanc virtutem ter sis labijs decantem, quam aliàs deceret, id pro vestra æquitate mihi condonetis. Quod me quidem à vobis non Difficiliter impetraturum esse, spondet Summa humanitas vestra mihi non ignota.

*Adsis, Christe, mihi titubantem fleite loquelam;
Inq; tuas laudes, quod meditabor eat.*

Sobrietas autem, ut hîc ordiar, est virtus
quæ in edendo & bibendo modum naturæ ac
rectæ rationi congruentem servat. Hic mo-
dus non est proportio arithmetica, præscribens
omnibus hominibus unam & eandem cibi ac
potus mensuram quæ statui non potest, cum
homines plurimum variant, Alij n. sunt cor-
pulentæ & staturæ grandioris, alij graciles &
mediocres, alij exigui corpusculi, alij alijs ra-
tionibus discrepant &c. Sed geometrica per-
mittens cuilibet tantum, quantum natura &
virium refectio postulat, siquidem virtus non
adversatur naturæ, sed eandem sequitur, fovet,
sublevar: undè sapienter veteres quidam phi-
losophi literis prodiderunt: juxta virtutem vi-
vere, est congruenter naturæ vivere. Dein-
de pro lætitia & hilaritate determinari debet
hic modus sobrietatis, voluntati etenim divinæ
non repugnat, cujus judicium tale est: come-
de in lætitia panem tuum & bibe cum gaudio
vinum tuum, hæc enim est pars tua & in labo-
re & vita tua. Neq; id repugnat honestati.
Expedit n. cuiq; lætari, & quidem vitæ causa
quæ diuturnior est lætanti, quàm tristi. Accede
ergò pulcherrima virtus, quæ omnem ætatem,
omnem sexum maximè decoras, maximè or-
nas maxime tueris, Audimus itaq; A. D. quàm
niti,

nitido hæc virtus primo intuitu fulget decore,
quàm pulchrè radios splendoris in optimorum
animos & sensus mittit, ita ut nihil fermè ho-
nestius, nihil pulchrius vobis dici queat. Nam
quid honestius, quàm appetitum à turpibus
revocare & coërcere, quid pulchrius quàm ea
virtute pectus suam fulcire, quæ prohibet ne
in beluas degeneremus, quæ nos abstinentes,
parcos, Sobrios, moderatos, pudicos, verecun-
dos reddit? Quis quæso moderatorum hominũ
hacce virtute carere potest? quæ animo inhabi-
tans, affectus temperat, desideria sancta inge-
nerat, vitiosa castigat, omnia inter nos confusa
ordinat, ac cogitationum pravaram semina sup-
primit, mentem placida tranquillitate compo-
nit. Hæc est virtus, quæ in rebus aut expetendis,
aut fugiendis, ut rationem sequamur, monet;
quæ animis pacem affert, & eos suavi quâdam
concordiâ placat & lenit. Hæc est virtus, quæ
concupiscibili parti frænum iniicit, quæ ani-
mum moderatur, ne ex Dño mancipium fiat,
& turpibus seruiat voluptatibus. Sane valdè
indecorum esset principi si cum principatum
in subditos ac imperium obtinere deberet, si
inquam ille obediret suis subditis. imo promi-
scuæ hominum colluviei ac fæci. Valde nem-
pe infame esset ei si cui imperium in beluas
esset

esset assignatum, beluis ipse subijceretur Quam
inhonestum a. homini esse putatis animum i-
ta permittere & tradere voluptatibus ut quas
coëreere, quas frænare natus est, ijs se coedè sub-
mittat. Verè a. hominis ingenui ac liberalis
erit, serio temperare & cohibere voluptates
adversus ea, quæ carnem delectant. Hæc igi-
tur virtus meritò laudatur, quæ omnium alia-
rum virtutum vel generatrix, vel certè nutrix
jure suo dici meretur. Da mihi fortem, libe-
ralem, magnificum, magnanimum, mansue-
tum, veracem, justum & simul ebrium. Non
dabis sat scio, nisi lupos cum ovibus, accipitres
cum columbis committere nitaris.

Non benè conveniunt nec in una sede morantur

Majestas & vinum.

Proinde si veram expetis καλοκαγαθίαν præ-
mitte Sobrietatē, quæ publicè privatimq; omni
vitæ generi maximo ornamento ac emolumento
erit. Ubi Sobriè vivitur, ibi œconomia & politia
rectè feliciter administrantur. Si statū œcono-
micū respiciam⁹; apparet utiq; homines Sobri-
os & continentes laborib⁹ & vitæ familiaris su-
stentationi, comòdè vacare posse, ut omnia ex
voto sub man⁹ succedant: ut in ipsa laborū mo-
le, nihil molestum, in ipsa negotiorum difficul-
tate nihil difficile accidat, sed alacritas ingenij,

Sobrietate excirata omnia vincat, omnia facilia reddat. Sobrietas quoq; valetudinem tuetur, ac multis morbis medicinam facit. Undè fertur Socrates qui omnem per ætatem vixit temperatissimè, cum sævissima lues grassaretur Athenis, ferè solus communi omnium cladi non fuisse obnoxius. Commemoratur quoq; eundem dixisse: alios vivere ut ederent, se a, edere ut viveret. Idem literis proditum de Aureliano imperatore invenitur, qui medicum ad se, cum ægrotaret, nunquã vocasse, Sed se ipsum inedia curasse perhibetur naturam etiã paucis contentam esse docet, nec in omni vita plus expetere, quam quod naturali desiderio sufficit. Docet etiam Sobrietas casti decus pudoris illibatum & incontaminatum vas suum servare docet multa & gravia scelera, quibus occasionem præbet luxus & ingluvies, vitare, docet intentum & devotum animum afferre ad cogitationes de Deo & divinis. Docet gratiam Dei, Spiritum sanctum & vitam æternam in fide retinere. O Virtus verè aurea, & humano generi longè utilissima! Sed videantur etiam paucis, quantum usum, quantum subsidium, quantum commodum, statui politico afferat, Quid n. Sobrii in Repub. geras, nisi sobrius ad illam accedas. Leonidas interrogatus cur parcè biberet? ne inquit, alij pro nobis consultant. Quid purum sit

in Repub. ubi magistratus impuras manus, impuros oculos, impuram mentem gerit. Quis igitur negat viros in luce Reipub. versantes esse oportere cautos, circumspectos, & prudentes? At sobrietas est custos prudentiæ. vultis exemplū? Nullum luculentius dare possum, quam Salomonis, quo nullus hominum fuit prudentior, prudentior? imo cui nullus prudentiâ par fuit. is a prudentiam tam diu retinuit maximam, dum sobriè vixit, cum v. luxui se dedisset, magnam stultitiam incurrit; adeò ut verum hic accedat illud Syracidis, vinum & mulieres degenerare faciunt sapientes. Quis neget viros toga sagoq; claros debere esse fortes? At Sobrietas custos est fortitudinis: Quãdiu ergo Alexander & alij benè multi sobrii fuere, fortes fuere, cum v. sese ebrietati tradidissent, illo vitio, fortitudo eorum tamquam ferrum rubigine, corrupta & absumpta est. Quid dicam de Cambijse Rege persarum hic furijis agitato? quem cum Prexaspes unus ex principibus & paternis amicis amanter & fideliter significaret, quod persis illa ejus potandi consuetudo displiceret, iussit ipse princeps eos convocari, & interrogavit, utrū aliquid in se, quod reprehenderēt, haberent? illi metu mussitabant, nec erat inter eos qui hoc ulc⁹ tangere auderet, quin pleno ore laudabant eū quorū laude inflat⁹ Rex atq; irat⁹ Prexaspi

xaspi fuit, dicens: se ostensurum sibi mentem
etiam inter pocula integram esse: ac jubens in
convivio adduci filium Prexaspis, quem ad li-
men collatum jussit sinistram manum capiti im-
ponere, & arcum intendit, ac ad cor pueri sagit-
tam direxit, quod si non vulnerârit se rectè à
Prexaspe accusatum iri. Cum v. cor tetigisset,
spiculo in corde hærente cachinnans, vides in-
quit patri, etiam ebrium me, tam egregium esse
jaculandi artificem: Pater sibi metuens, conti-
nuit sese, dolorem dissimulans, artem laudare
coactus fuit. Postridie v. ejus diei & duodecim
principes Persarum, ob rem nihili ac nullius mo-
menti causam, crudelissimo supplicio affecit,
obverso capite vivos defodiens, ac per eundem
temulentix furorem alia multa etiam dictu ne-
fanda, & horribilia auditu designavit, donec
Deus cum proprio gladio ictum vita expulit. In-
de Caro ebrietatem voluntariam insaniam rectè
appellavit: quia est tale vitium ex quo rationis
offuscatio imò intellectus privatio haud rarò pro-
venit, de quo Oseas inquit: vinum & ebrietas au-
ferunt cor, & quod gravius iram & maledictio-
nem Dei provocant, ac in se derivant, quod E-
sajas testatur, inquiens: Væ illis, qui consurgunt
manè ad ebrietatem sectandam, & potandum
usq; ad vesperam, ut vino æstuent: citara, lyra,

Tympanum, tibia & vinum in convivijs illorum,
ac opus Domini non respiciunt, nec operam ma-
num eius considerant. Sed & Angelus Dei om-
nibus ebrijs horrenda hac voce infelicia mina-
tur: Expergiscimini ebrij, flete & ullulate omnes
qui bibitis vinum in dulcedine. Ne itaq; tenter
nos Satanas propter nostram ingluviem, ne in
præcipitia vitiorum abducatur, neve in abijssum
perditionis detrudat quod Deus clementer a-
vertat, proponamus nobis verbum Dei, quod
multis in locis nos ab ebrietas revocat ad jejuniũ,
ad Sobrietatem invitat. Nota est sententia: ca-
vete ne corda vestra graventur crapula, & san-
ctus Paulus nos monet: tanquam in die compo-
sitè ambulemus non in commestationibus, non
in cubilibus ac lascivijs, non in contentione & æ-
mulatione, nam qui talia agunt Regni Dei hare-
des non erunt. Imò idem Apostolus populum
Israëliticum à crapulâ ad idololatriam prola-
psum affirmat. Atq; Christus ipse ait: Hoc genus
Dæmoniorum non eiicitur, nisi jejunio & oratio-
ne. Itaq; non intueamur vinum quando flave-
scit: Cum splenduerit in vitro color ejus, ingre-
ditur blandè, & in novissimo mordebit ut co-
luber, ac sicut angvis venena diffundet, oculi tui
videbunt extranea: & cor tuum loquetur per-
versa, ac eris sicut dormiens in medio mari, &
quasi

quasi sopitus gubernator, amisso clavo ac dices:
Verberarunt me & non attendi traxerunt me
& non sensi, nam corpus onustum hesternâ cra-
pulâ animum quoq; prægravat ipsum, atq; affli-
git humi divinæ particulam auræ: Ne itaq; Spi-
ritum sanctum excutiamus, sobriè vivamus, de-
dit n. nobis Deus spiritum Sobrietatis quem, ut
fumus apes, sic expellit ebrietas. Spiritu sancto
vero excusso, succedit malus spiritus & dictis vi-
tijijs tanquam omnium malorum causâ, ad illa-
queandos homines utitur. ô quam malè cum illis
hominibus agitur, quos ille spiritus ducit! Dum n.
in lætam viam ducere videtur, in latam viam,
quæ ad infernum fert, impios homines perducit.
Fugiamus ergo ebrietatem omnium vitiorum, o-
mnium scelerum radicem, quam chara est nobis
nostra salus; è contra sobrietatem, omnium vir-
tutum matrem, recti judicij tenacem, memo-
riæ promam condam, secretorum observatri-
cem, industriæ, doctrinæ, studiorum artiumq;
altricem, ingeniorum magistram, pudicitiaæ a-
lumnam, sanitatis conservatricem amplectamur,
exosculemur, hac nos oblectemus, hanc in deli-
cijijs, in oculis in sinu gestemus, & ad extremum
usq; defendamus, sic ad bonam frugem perveni-
emus; sciamus naturæ parum, cupiditati nihil
sufficere, Ne igitur avidi simus in omni epulatio-

ne, nec nos ingurgitemus omni escâ, quia natura quovis Cibi genere æq̃; conservatur, dum tantum cibi & potus adhibetur quo vires reficiantur, non opprimantur, nihil quoq̃; sic ad salutem, pertinet nihil sic sensuum ingenijq̃; acumen excitat, nihil deniq̃; sic ægritudinem fugat, ut moderata refectio; contra ex nimia ingurgitatione crassi halitus surgunt, qui varijs modis actionibus corporis & animi obsunt, qui turbant cerebrum, qui afferunt capitis dolorem, stuporem, ægritudinem, & tandem pallidam mortem inferunt. Sobrijitaq̃; estote atq̃; vigilate, quia adversarius vester Diabolus tanquam leo rugiens circumit quærens quem devoret, cui resistite fortes in fide inquit Apostolus. Si verò tam fortis, tam vigili, tam intento hosti, sit resistendum, Sobriè & piè vivendum, in Spiritu ambulandum, ac desideria carnis non perficienda sunt, nam caro concupiscit adversus spiritum. Nos deniq̃; qui Dei sumus sobrij simus, & ab omni malo abstinemus, sic Deo accepti erimus, cum hujusmodi fructus conjuncta fide proferemus. Non deniq̃; cibo & potu abstinemus, quasi aliqua creatura mala esset, sed pro sola corporis castigatione, neq̃; n. per abstinentiã caro, sed carnis vitia sunt excutienda, sic autem necesse est, ut quilibet jejunium exerceat, non quatenus carnem, sed vitia
expur-

expurget. Intueamur Johannem Baptistam, cu-
jus indumentum è pilis camelorum confectum
erat, & zonam pelliceam circum lumbos suos ha-
bebat, cibus autem illius erant locustæ & mel syl-
vestre. Intueamur Antistinē, qui voluptates cor-
poris in tantum execrabatur, ut diceret, se malle
insanire, quam voluptate affici; quia insaniam (di-
cebat) auferre potest medicus; voluptas a cum
æq; mentem eripiat homini, vix tandem sanabile
malum est. Studeamus itaq; & nos qui audimus
studiosi, sobrietati, quæ purgat mentem, subleuat
sensem, carnem spiritui subijcit; nam ubi sobri-
etas ibi varia vitia exulant, ubi vero ebrietas ibi
varia peccata dominantur; nam ebrij facile à Sa-
thana ad peccandum alliciuntur & impelluntur
juxta illud Ovidij.

Et Venus in vitis, ignis in igne furit.

Si velimus ergo vitare omnia vitia, vitemus ebrietatem, si
amemus virtutem & salutē nostram amemus sobrietatem.
Fateor quidē quod nihil in hac lacrimarum valle difficili-
us appareat illis, qui desiderijs carnis ante æstuarunt, quam
illa domare, attamen si volunt saluti suæ consulere necessa-
rium est ut cupiditatibus suis resistent. Nam Demosthenes
illi homini nihil mali evenire posse asserbat qui sapientiæ
fundamentum, Sobrietatem jecisset, Sobrietati sobriē vigi-
landum est, partim ideo quod non solum sit ornamento o-
mnibus alijs virtutibus, sed etiam basis omnium aliarum
virtutum, partim quod, quia à Deo in sacris literis severo
jussu injuncta & mandata est, Divinum igitur hoc manda-
tum, nequaquam violandum est, sed si graves pœnas peccati

tantæ dare noluerimus, sanctè servandum. Qui enim Dei
 mandatum deserunt à Deo iterum deseruntur, qui semper
 de terra cogitant qui terrenos habent actus, qui terram de-
 siderant, qui ad cœlum non respiciunt, qui futura non cogi-
 tant, qui extremum Dei iudicium non metuunt. Dei con-
 vivæ nunquam fient, quia beata ejus procula non sitiunt;
 sed semper ebrietati & desiderijs hujus mundi inhiant,
 hi non ex Deo, sed ex hoc seculo sunt, & dum terre-
 stria supra modum amore prosequuntur cœlestis tandem
 lætitiæ expertes erunt. Ut cœlestia ante omnia quæramus
 ut sobrietatem & alias veras virtutes sectemur, Deum Ter-
 Opt. maximum arctissimis votis unanimiter rogemus, ut
 nos velit spiritu sancto regere, ne carnalibus irretiamur vo-
 luptatibus, quæ pugnant adversus spiritû. Quod reliquum
 est ex toto pectore Deum cunctipotentem oremus, ut sa-
 nam religionem nostram hisce ultimis ulcerosis tempori-
 bus conservare velit. Eandem Majestatem humiliter &
 demissè sollicitamus & obsecramur ut Regem nostrum
CAROLUM GUSTAVUM jam contra Polonicos ho-
 stes constitutum ab omni Damno & hostium technis tueri
 dignetur, & tandem triumphantem molestijs omnibus be-
 nè peractis, sanctorum Angelorum custodia munitum la-
 res ad nostros reducat. Custodi protege atq; defende eti-
 am o misericors Deus conjugem ipsius illustrissimam, Re-
 ginam nostram celsissimam cum conjugij pignore Regni
 nostri hæreditario, ab omnibus malis & insidijs. Deniq;
 toto precamur pectore ut cœtus docentium & discipulorum in Scholis & Aca-
 demijs patriæ, præsertim in hac Regia Academia Aboënsi o Deus umbrâ alas
 rum Tuarum Clementer protege, ne bellorum metu, vel animorum distra-
 ctione quasi fumo quodam suis alveolis depellantur & dissipentur, sed facias
 ut omnes uno conamine gloriam tuam studiose quæramus strenuè salutem
 publicam promoveamus & nostræ ipsorum incolumitati
 diligentèr prospiciamus!

D I X I





